



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.2. Adami ruina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

ditur leo, ut pavescat canis. nam si tale scrutinium est in Hierusalem; ( cum Hieronymo loquor ) quale futurum est in Babilone ?

§. 2. *Adami ruina.*

Permitto scenam. Viridarium propono rosis, myrtetis, deliciis, somno plenissimum. Nondum steriles avenæ, nec infelix palirus apparebat; æterni flores, ver perpetuum, pax summa. Hæc scena. Sed vide cœnam longè infelicissimam. Pomum comeditur. Quid exinde ? heu me ! Ille hominum caput, mundi, cæli, terrarum, elementorum, tempestatum, belluarum, piscium, avium, ferarum, & quod caput est, sui Rex : ille prudentissimus, sapientissimus, beatissimus, in quantas servitutes cladesque venit ? omnium pila malorum ; ludibrium fortunæ, mancipium sui. Nimiriūr ab uno malo ad omnia mala itum est. Numera plagas ri-xasque terrarū, maris & cæli jurgia, grandines, procellas, frigora, sterilitates, annonas graves, incendia, diluvia, vastitates. Numera pessimi omnium servorum ( corporis nostri dico) perduelliones, defectiones, morbos, febres, contagia, lethiferos sudores, quot denique mortes ? numera pestes animi, iras, livores, odia, simultares, ægritudines, atque

B

hinc



## LIBER I.

hinc neces, parricidia, lites, bella, quām grā-  
via omnia ? quid illa mortis præsentis & fu-  
turæ supplicia, inferos, flammas, tenebras  
perennes ? quid tot millia miserorum infan-  
tium hac gulâ consumpta ? Hæc si perpen-  
des, nonnè exclamabis ? ô malum, malum !  
quanto sanguine stetisti ? nonnè cum Za-  
charia[ Cap. 13.] dices ? *Quoniam Adam ex-  
emplum meum ab adolescentiâ meâ.* O pri-  
mordia rerum ! Eheu ! si talia sunt initia na-  
centis mundi ; quod erit funus & morientis,  
& damnati ?

§. 3. *Inferorum tormenta.*

O malum, malum ! ô momentum, mo-  
mentum ! An in Angelo cogitatio ? in Adas-  
mo morsus tam atrociter ? in nobis flagiti-  
um, & tot flagitia, non punientur ; cùm ju-  
stus sit Judex, & omnibus æquus ? Descen-  
de ab orchestra in caveam inferni. Hic tibi  
scenam igneam, hic lanistas ostendam nun-  
quam rude donandos. Videbis, inquam,  
non te, ( quod avertat Deus ) sed tuum pec-  
catum mirabiliter excruciatum, qualecun-  
que voles, blasphemiam, impudicitiam, e-  
brietatem. Quid hîc dico ? ignem æternum  
tui; mei, inquam, peccati pœnam esse. IG-  
NEM expende, deinde ÆTERNUM : tum  
utrum :